

1577

tonibus madefactis, fummisque tectorum instratis, ut igneis favillis, atque undique erumpenti materiæ ardenti obsisterent, obviam itum. Sed jam supremis tabulatis penitus flamma correptis, quæ inter densissimi fumi globos usque ad cælum ferebatur, momento ingenti cum fragore ac strepitu aulae majoris, atque ejus, quam *scrutinium* vocant, tecta decidere, eorumque ruina quæcumque excellenti artificio præclara, diuturnitas temporis, ac Patrum studium ad stuporem usque cingere potuerant, sepulta conflagraverè; atque inter hæc Joannis Bellini, Titiani, præstantiumque pictorum opera, quibus egregia Venetorum facta ad vivum repræsentabantur, igne absumpta in cineres conversa sunt; ac postridie illius diei nondum extinctum incendium, pabulo deficiente, passim in reliquias sæviendo assurgebat, ut tandem firmissimi tantum parietes nudati superessent. Eam ob rem haberi comitia per aliquot dies non potuere. Tres a Senatu Patres lecti, qui de loco comitiis habendis opportuno Senatum consulerent, Aloysius Georgius, Jacobus Superantius, Paulus Theupolus; reque maturius expensa, tertio kalen. januarii latum, ut comitia in amplissimis navalis atriiis cogerentur, eaque ita effingerentur, ut penitus eorum, quæ conflagraverant, Ducis suggestu, sedilibus, aliisque formam exprimerent. Quintodecimo kal. februarii de more comitia habita sunt. Inde variis sententiis de sarciendo palatio actum, nonnullis à fundamentis novas erigendas substructiones consentibus, in quibus cives ad creandos magistratus convenirent. Verum cum, solerti architectorum cura palatio inspecto, nulla in parte debilitatum animadvertissent, vastam illam atque inconcussam molem egregio, ut ante ea tempora ferebant, artificio, quod vix imitari possent, compactam Patres conspicati, Senatusconsulto, nihil de veteri forma immutandum, incendio tantum consumpta sarcienda esse, decrevere: brevique in eam, quam modo cernimus, amplitudinem evasit. Eodemque ordine majorum gesta præstantium pictorum penicillo expressa visuntur, iis, quæ recens insequuta sunt, adjectis, insignique præsertim navali ad Echinadas pugna, in qua ob oculos ponenda una cum aliis plerisque summam vel ingenii vel laboris laudem Jacobus Tentorettus tulit; quæque prisca decoris ablata incendio fuere,

*Senatus
decretum de
palatio in-
flammando.*

*Jacobi
Tentoretti
Pictoris
percelebris
virtus.*

ele-